

**Dissertatio inauguralis medica, aegrum affectu maniaco laborantem
sistens / [Johann Friedrich Schroeer].**

Contributors

Schroeer, Johann Friedrich, 1670-
Eysel, J. P.
Universität Erfurt.

Publication/Creation

Erfurt : J.H. Grosch, 1695.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/cynhgkgs>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

27

SUMMO ARCHIATRO BENEDICENTE!
DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA,
**ÆGRUM
AFFECTU MANIACO
LABORANTE**
SISTENS,
Qvam
AUTHORITATE ac DECRETO INCLYTI & GRA-
TIOSISSIMI SENATUS ASCLEPIADÆI,
IN ALMA ac PERANTI^{QVA} ACADEMIA ERFURTENSI,
Sub PRÆSIDIO
Nobilissimi, Excellentissimi nec non Experientissimi VIRI,
DOMINI
**JOANNIS PHILIPPI
EYSELII, MED. D.**
Anat. Chirurg. & Botan. Prof. Publ. Ordinarij, P.L.C.
PATRONI & PROMOTORIS sui
nunquam non devenerandi,
PRO LICENTIA
Supremos in ARTE MEDICA HONORES
legitimè ac solenniter capeſſendi,
Dic 4. Februarij, 1695. In Auditorio JCTORUM majori,
Placida Eruditorum Disquifitioni exponet
RESPONSURUS AUTOR
JOH. FRID. Sørðer /
Zdunens. Polonus.
ERFORDIAE, Typis Job. Henr. Groschbÿ, Acad. Typogr.

DEO
PARENTIBUS
ET
PATRONIS

DEDICAT

A U T O R.



I. N. J.

PRÆLOQVIVM.

Nihil homini excellentius sanâ Mente in Corpore sano, nihil optabilius à supremo Conditore concessum, Intellectus moderamine segregante nos unice à brutornm sodalitio. Fons omnis sapientie omniumque Virtutum & Actionum laudabilem scaturigo, ea Corpore manente immobili non solum fertur per aerem spatiaturque per universum Orbis ambitum, verùm supra Theatrum mundi propriamque naturam elevata, Angelorum Celiique mysteria comprehendit Ortus sui nobilitatem ostensura. At nihil quoque miseriis destructâ rationis arce, quâ omnis Humanitatis Idea, omnisque Venustas Corporis humani exuitur. Lugubre hoc spectaculum in variis affectibus Morbosis, macibnam Microcosmicam invadentibus intueri licet. Sufficiat nobis unicum borrendum affectum ex tot Myriadibus Morborum MANIAM scilicet, dramata sua furibunda horribili aspectu in fabrica humana ludentem in scenam produ-

cere. Illà enim correpti furoreque perciti ab humanibus moribus degenerantes ferinum induunt Animum & ferarum modo redduntur effrenes, actionesque crudelitate stipatas absque rationis directorio exserunt. Hoc affectu correpti, Vultum plenum furoris, Oculorum aciem scintillantem, sermonem atrocitate combinatum, gestusque cunctos effrenatae Audacie praefereunt. Presentationem terribilium ejusmodi symptomatum mibi Musis in Academiâ Jenensi litanti in Juvene studioso furiis Manie agitato, summâ tamen Dei Gratiâ Medici cuiusdam expertissimi ad sistentiâ prudenti iterum liberato, lustrare contigit: Cuncta hec Animò mecum volutans opera pretium fore judicavi, Affectus bujus truculentî sciagraphiam accuratori lime committere, Ægrumque malò hoc atroci laborantem in Disputatione mea Inaugurali Medica sub Ventilationis incudem revocare, Morboque examini theoreti prius subjecto, Curationem selectioribusque remediis tentandam annextere. At Tu aeternæ Mentis Numen, à quo ab ipsis Mundi incunabulis universa pariter ac singula gubernantur, cuius celesti dispensatione vegetata Mens sapit, non irradiata miserabili peregrinatione deviat, jube ut omnia ex Animi succedant sententiâ, nostrique Conatus vergant ad Tuæ Glorie prædicationem, multorumque agrotorum salutem!

HISTORIA.

Juvenis 25. Annorum Temperamenti sanguineo-melancholici Veteribus sic dicti, studiis summo cum

cum fervore addictus , omnisque horæ rationem ,
 habens , alacriter illa prosequitur : Ingeniumque
 nimium defatigans , Vitâ solitariâ & sedentariâ de-
 lectatur : Alios suos Commilitones egregiâ eruditione
 conspicuos intuens, æmulus eorum fieri maximopere co-
 natur , brevique spacio soliditatem decumanæ Doctri-
 næ se nancisci posse judicat, sollicitâ observatione Tem-
 poris fluidi institutâ ; Èâ de causa non solum totius
 Diei intervallum literis consecravit, nec horæ unius in-
 tercapedinem prandiâ absolutâ , quieti dedit , verùm
 etiam nocturno tempore, dulcedine somni paucis laben-
 tibus horis degustatâ , lucubrationibus interpolatis ab-
 solutionem pensi ad manus sumsit , spe fretus intentio-
 nem suam se brevi affecuturum. Multæ itaque lectio-
 ni intentus minimè credit Cerebro meditationibus ni-
 miis occupato turbationem conciliari posse , adeo ut
 tandem ferias agere nullo modo amplius soporis sva-
 vitate valeat, ideo agitatis continuo Ideis internis, no-
 ctes aliquot vigiles consumens , cachinnos edit indeco-
 ros, ineptiisque rebus suis peragendis, & Sermonum ab-
 surditate secum conversantibus simulque temeritate at-
 que Audaciâ omnibus obviis, molestus evadit : Accedit
 Iracundia, torvus Aspectus & Truculentia : Vociferatio-
 nibus crebris Terrorem singulis incutit, familiares ceu
 infensiissimos hostes violare intendit. Omnem suppeli-
 lectilem è Musæi fenestrîs projicit , in Vicinos maledi-
 cta eructat, Amicorum visitationem sputi conspurcatio-
 ne compensat. Admirandum Corporis robur adstantes
 in eo observant, & vix à quatuor robustis Juvenibus co-

hiberi & vinciri potest, frigoris Injurias non sentiens vestes dilacerat. Nudus depositâ omni verecundiâ è lecto prosiliens, omnes furibundo conamine in fugam conjicit, tandem captus lectoque ligatis manibus pedibusque affixus cibos oblatos respuit: Ejus Conterranei de Morbi Eventu & Curatione solliciti petunt Consilium.

RESOLUTIO MORBI.

THES. I.

BEATIONIS memoratae præfamen accuratius trutinatum, patientem horribili quoddam Affectu detentum sistit, cuius evidentissima Phænomena evincunt, illum atroci MANIA correptum esse. Hæc derivatur ~~deinde~~ i. e. insanire, furere, hoc verbum vero secundum nonnullos descendit à verbo μάνια seu μάνιον quod significat impetu furibundo, feror. Sortitur & alia nomina dum latino Idiomate furor, insania Ciceroni, Horatio verò Rabies dicitur. Germanis appellatur **Die Tollheit / Unsinngkeit / Raserey.**

TH. II.

Quibus ita prælibatis sequentem definitionem sub jungimus: Mania est Delirium sine febre cum furore & audaciâ ab efferatione Spirituum animalium præternaturali oriundum.

TH. III.

Essentialiter in hærentia videlicet Delirium seu Imaginationis & ratiocinationis depravatio cum furore & auda-

TH. VII.

audaciâ absque febre præsentiam Maniæ denotant: absurdis enim locutionibus & rationi minimè consentaneis æger tempus terit, oculis torvis astantes adspicit, more brutorum vociferatur, in proximos furit, vestes, lectum & omnia dilacerat.

TH. IV.

Id confirmant etiam ex necessitate consequentia sive symptomata videlicet oculorum squalor, vigiliæ continuæ, Inquietudo, ferocia & similia: Ut & robur Corporis insolitum.

TH. V.

Ea majorem acquirunt Lucem, dum de morbi Indole nos certiores reddit, Temperamentum ægri sanguineo Melancholicum, quo faciunt lucubrationes sæpius institutæ, vigiliæ supra modum protractæ, pluraque alia, quorum in Historia morbi mentio facta.

TH. VI.

Neque Analogismum abludere extra dubitationis aleam posatum est, comparatione enim aliorum Maniacorum adhibitâ, eâdem symptomatum vehementiâ illos vexari in aprico est. Experienciæ itaque normâ edoctis affectum prædictum, dominatum in ægri nostri Machinâ corporeâ affectare, nemo detrectabit assentiri.

TH. VII.

Subjecti itaque principalioris sedem in nobilissimo Organô Cerebrô querendam esse firmiter nobis persuadimus, non tam in Ventriculorum anfractibus, quam totius

totius substantiæ peripheriâ: neutquam fibrillarum nervarum vel membranarum expansiones hîc accusamus, sicuti aliorum morborum sedes esse consuevère, nominatim, Apoplexiæ, Epilepsia &c. Sed spiritus animales Cerebri incolas per se & habitualiter affectos, ab indole propriâ spirituo-salinâ in sulphureo-salinam degenerantes cum Willisio pro subjecto vero agnoscimus. Spiritus animales taliter affecti motus inordinatos edunt, priores itum & redditum tractus relinquunt, ac in Cerebro spatiola sive ambulacra ubique nova & plane devia sibi excavant, in quibus notiones inassuetas & valde absurdas producunt.

TH. IX.

Immediatam Maniæ causam, efferationem spirituum animalium præternaturalem ponimus, illa enim in statu præsenti absque febre sociâ observatur & Maniam in artificiosissimâ Corporis humani structurâ producit.

TH. IX.

Mediatam causam proximiorem locamus in massæ sanguineæ sive humorum circulantium crassitie, particulis corrosivis, angulosis atque à materia acri & subtili vehementissime agitatis copulatâ: ex tali constitutione sanguinis producitur succus nervosus ejusdem constitutionis nimirum particulis angulosis, acribus & corrosivis constantes & aquam stygiam æmulans, quæ particulæ mille modis inter se agitatæ celerrimo maximeq; cum impetu abruptæ & ad massam sanguineam iterum ex Circulationis lege dela-

delatae sublimitatem cerebri petunt, nec ibi diu hærentes statim erumpunt, circumque dicto citius absolvunt, sic fugitivi illi Spiritus viam suam eunt redeuntque longè frequentius quam necessitas urget, immanique suâ acrimoniâ horrendos stupendosque motus excitant, quo ipso anima redditur incapax, ad obeunda sua munia.

TH. X.

Spiritum animalium naturalis compages agnoscit particularum è purissimo sale alcalico volatili fabricatarum præsentiam, aqueis purissimis particulis solutam, quæ mediantibus Cerebri innumeris glandulis, à circulantibus humoribus separantur. Motus iste sequitur reliquorum circulantium liquorum motum, quod remoram patiente, ille quoque sufflaminationem in motu suo cogitur perferre. Prosapiâ liquoris hujus benè cognitâ, levi negotio eruemus, in quo status p. n. consistat, hunc autem in acido oleoso castra locasse hariolamur, principia enim hæc Ignis constitutiva esse cum Veritate haud discrepat, quibus nervi tensi semperque quasi leviter convulsi permanent.

TH. XI.

Causam proximiorem latere in sanguinis undis veluti natalibus spirituum animalium liquidò constat, quâ ratione verò, quibusque mediis Massa sanguinea vitiosa & acida reddatur, malo huic ansam ministrantes docebunt Causæ remotiores : Ex naturalium rerum numero subsellia prima tenet Temperamentum, ex particulis

B

acidis

acidis & volatilioribus veluti activis ut & crassioribus aliis passivis terrestribus &c. constatum, Veterum more loquendo Temperamentum sanguineo-melancholicum.

TH. XII.

Ex enumeratorum Mixturâ, singularis evadit maf-
sæ sanguineæ textura pororumque configuratio, quam
levis commissus Error magis coarctat, variisque modis
alterat, undè tum subtiliæ theri ob poros præpeditos, mo-
tus suus haud liberè relinquitur, hinc particularum
præprimis leviorum ignearum confusa oritur agitatio, sic
quæ caloris ignei in cerebro suscitabulum enascitur.

TH. XIII.

Ad ætatem digressum facientes advertimus, quod
plerumquæ hoc malo cruciari juvenilis vigor soleat, im-
munitate tamen nulla fronti senili rugosæ concessa: Si-
quidem Senectutem etiam huic malo truculento obno-
xiā esse, diaria observationum edifferunt.

TH. XIV.

Numerum rerum nonnaturalium contemplantes
primum damus locum, Aeri communi vitæ pabulo. Ca-
loris vehementia dum astuat aer ex æthere subtili vali-
dissimò motu agitatus, atque omnium dimensionum
limites movendo transgressus, Corporis nostri penetra-
lia per volitat, conjunctionem particularum sanguinis dis-
sociat, dissociatis poris patulis factis avolandi ansam
præbet, remanentibus saltem crassioribus: Hinc sanguis
crassitatem acquirens, acrimoniam concipit, unde spiri-
tuum

tuuma nimalium diathesis feruida & ignea oritur, simulque huic malo producendo semit a paratur plana.

TH. XV.

Depositâ aeris indagatione Cibum, Potumque affectui nostro pabulum optatum subministrantem conspectui offerimus: à Ciborum duritiè visciditate, difficultorem dissolutionem secum fovente, pariter à potu inconveniente subtile & acres particulas levique negotio dissipabiles continente, nocivum Maniæ suppeditatur adjumentum. Præ cæteris Potus spirituosior quantitate nimiâ haustus, humoribus in Corpore nostro vagantibus celeriorem inducit motum, subtilioris ætheris particulis plurimis inductis: Hinc spiritibus qualitatem igneam quasi concipientibus, Machina corporea tanquam à furiosis equis sursùm deorsum trahitur atque concutitur.

TH. XVI.

Quantæ Insidiæ à nimiis Vigiliis liquori Vitali struantur, in propatulo est: Laborum enim continuitate œconomia animalis delassata mirum in modum destruitur, cum sic undiquaque Spiritus animales per totum Corpus indesinenter ruentes, maximâ sui parte consumantur, sanguinea massa segniori pede propellatur, & humores visciditate acrimoniâque involvantur, qui mediante dulcedine somni attenuari & temperari potuissent. Extensio lucubrationum in multam noctem ægro nostro irrogavit pænas, quas Nox minatur transgressoribus, nempè cruditates Spiritus extra sphæram suam citare valentes.

TH. XVII.

Par ratio habenda est motus & quietis; **Enim** verò excessus omnis motus sanguini fervorem communicans Spiritus impetuosiōres facillimè ex suis stationibus dislocat, eorumque turbationem excitat, è contrario, motu abolito, accedente vitâ sedentariâ humores torpidi fiunt & quasi vappescunt in vasis. **Quiete** tali nimiâ æger noster diu delectatus & instar cochlear studiorum gratia domo & Musæo quasi affixus, insensibilem transpirationem sufflaminavit, fuliginibus morbosis retentis massam sanguineam conspurcavit, & Spiritus acriores reddidit.

TH. XVIII.

Promotio mali ab excretis & retentis quoque fieri potuit, retentis enim humoribus inutilibus per pororum spiracula excerni solitis ipsis ad acredinem suscipiendam sufficiens præbetur occasio, id quod hæmorrhoidibus, aliisque evacuationibus suppressis, usu venire solet, nec silentii peplo tegenda Seminis copiosi & spirituosi retentio. quippe quod corruptum huc etiam confert suum επιβάλλον μέρος.

TH. XIX.

Passiones Animi fortiores ad gignendam sævam, hanc progeniem in regiâ Menti sede multum conferre planum est, imprimis Iræ excandescentiam, brevem illum furem, quod tum spirituum animalium tumultuario motu abreptorum minimè in linea rectâ sine omni offendiculo in nervorum tubulos excursus concedi-

ceditur, sed hinc inde impingentes illos concutiunt atque convellunt. Unde qualem præsentationem Iræ, objectorum externorum Antipathia efficit, talem quoque furoris idearum internarum objecti vicem obeuntium agitatio in lucem prodit: Quo pertinent alia spiritibus inordinationes tales inducentia, ut Curæ, mæror vehemens, ob luctum, jacturam honorum, Auri etc. fastus, arrogantia & similia.

TH. XX.

Seorsim amoris illecebris irretiti hujus vel illius personæ amplexu frui facultatem haud possidentes, attamen summô desiderio conversationem istius amabilem affectantes, exitum ejusmodi tristem sæpius experiri assolent. Alios votorum temerè ruptorum jactura, presso pede dementiæ Candidatos evasisse experientia testatur.

TH. XXI.

Crebrarum meditationum continuitatem atque Curarum angorem mali hujus Ovi exclusionem intendere in confessu est. Siquidem Corpus vehementer extenuant, globulos sanguinis in spicula acria permutantes ac quietem somni necessariam spiritibus detrahentes, vigilium molestias procreant. Sub censum quoq; venit Philtorum seu poculorum amatoriorum exhibitio, quatenus mumiale fermentum à scopo abludens, & humorum perversionem parturiens æquilibrium spirituum tollit, ideis dementibus irregularibus exclusis, sicuti Sanguinis men-

strui vis, Philtri loco exhibiti Spiritus in violentos mo-
tus cogit abire, Experientia adstipulante.

TH. XXII.

Succenturiantur denique & causæ p. n. non parum affectui huic atroci, præprimis Morborum universalium caterva, febrium scilicet diversitas veluti ardentium, Maniam excitant quam maximè, ubi exhausto sero massa sanguinea crassior ad efferationem disponitur. Scorbuto etiam latenti luite venereæ consummatæ, tragædiam talem in Theatro præsentare humano, absque ulla difficultate conceditur.

TH. XXIII.

Particulares Capitis Morbi nonnunquam viam huic malo pandunt, ex quorum societate, vulnera Capitis seu levioribus seu gravioribus Symptomatibus stipata ex abrupto quasi in affectum maniacum degenerant, illis enim stagnationem sanguinis in Cerebri canaliculis adjungere fas esse credimus: Referri huc etiam gestiunt Morsus animalium præprimis Canis rabidi, immò & hominum furentium, ubi ob motus spirituum animalium inordinatos per salivæ communicationem, Insanæ Tyranno fores aperiuntur.

TH. XXIV.

Sufficienti ut reor signorum causarumque scrutinio instituto, ad reddendam rationem denso agmine circumstantium accingor.

TH. XXV.

Absurdæ locutiones rationi sanæ minimè congruae
adsi-

adstantes in suspicionem rapiunt: Quia succus nervosus & Spiritus animales ex inæqualibus magnitudine & figurâ particulis conflati atque proindè irregulariter agitati, nunc in hoc nunc in illud vestigium desultorie incident, undè menti varias vagas totoquè Cælo discrepantes cogitationes occurrere necesse est.

TH. XXVI.

Perpetuo æstu calentem se omnium Oculis Maniacus exponit. Particulæ enim spirituum animalium secundum proprios axes à materia subtili volutatæ sensim sensimquè subtilitatem acriorem adipiscuntur, undè in majorem furorem transversim rapiuntur maniaci, cumquè tremulus fibrillarum motus ita augeatur, immani æstu torquentur. Porro particulæ illæ scindentes corrosivæ, particularum ramosarum viscidarumque compedibus detentæ in aerem avalare facile nequeunt, hinc assidue & pertinaciter irritando tubulos nerveos eosque vitiœ intorquendo vel confundendo non brevi tempore sed diutissimè durans & contumax contrahunt nutriuntquè Delirium furibundum.

TH. XXVII.

Stupendo & Herculeo labore pollet Maniacus noster, adeo ut quatuor Viri robustissimi ipsum cohære vix valeant. Ortum suum debet immanni Musculorum inflationi & explicationi, sanguinique crasso & agitatione intestina tumultuante tardè moto diuturnamquè moram nectenti. Crassiores verò succi nervosi & spirituum animalium particulæ in celerem motum abreptæ, cæptum motum

motum perpetuant, nec ab obuiis corporibus facile repelluntur, unde diutius morantes tam citè fugam capessere non valent, quid, quod corpora gravitatem maiorem in gremio foventia tardiori nisu quidem in motum abripiantur, semel autem in motum abrepta diutius motum appropriatum continuent.

TH. XXVIII.

Torvitas ex oculis igneo colore scintillantibus elucescit, quia facies exterior interius contentorum humorum effigiem & speculum exhibet, eorumque interpres evadit, unde cum solito fulgore flamma vitalis non micat, nec hilari patet fronte.

TH. XXIX.

Ab intensissimo frigore Membra Corporis denu data nullum detrimentum capiunt, quod crassæ sanguinis particulae in vehementi motu constitutæ satis fortiter agitant fibrillas nerveas, ut illæ facile quietem ab aere incumbente inducendam superare possint.

TH. XXX.

Svavitate somni potiri minimè concessum ipsi est tum ob svavium ~~aruspiciā~~ seu blandæ lymphæ defecum, tum ob perpetuam animi inquietudinem.

TH. XXXI.

De assumptione cibi & potus haud sollicitus degit, partim ob cruditates in Ventriculo delitescentes, vellicatione interceptâ, partim ob depravationem facultatum principum vi suâ ventriculus destituitur, evocato ad laborantis & continuo meditantis cerebri subsidium Igne.

TH. XXXII.

Hisce paucis delibatis Affectus essentiam symptomatumquè enodationem maximam partem acu tetigisse arbitrantes, Prognoseos Eventum attingimus, Vaticinumque salutis & Mortis edicimus.

Dirum stupendumquè omnino malum præsens pronunciari meretur, et si suâ naturâ lethalitatis notâ careat, nisi ægrorum fatuitas furoris causa, Machinam corpoream violentis subjiciat manibus, aut in puteorum profunditatem vel ex editi loci cacumine præcipiti dejiciat lapsu, ut plurimum tamen Morborum incurabilium, Consortium inire amat, vel saltē curatu difficiliorum connubium amplectitur, maximè autem passione graviori oriundum, v. gr. Irā, Terrore, jacturâ bonorum & similibus.

Minus timendum periculum si Maniacus cum risu absque directione aliquid machinatur. Præterea cum patiens tractandus in adolescentia sit constitutus, viribus nondum depauperatis, spem restitutionis concipientes, labantis Animi vacillationem refocillabimus, boni Eventus expectatione erecto Clementiâ Numinis supremi reconvalescentiam pristinam pollicebimur, dummodò ægrum actionibus nostris non reluctantem offendemus.

Quoad longitudinis & brevitatis augurium, causarum hoc malum foventium atrocitas vel levitas etiam

Eventum longiorem & breviorem prædictit. Dum enim ægritudinis vitium sensim succrescere satagit, facile extirpationem admittit, quemadmodum & istud quod consensuale dicitur. Essentiale verò Cerebro profundissimè impressum nonnisi summâ cum difficultate interdum obliterari potest, veluti enim plicis chartæ fortiter arctatis ægrè explicatio adaptatur, ita nec hoc vitium facili falce demetitur.

TH. XXXVI.

Cæteroquin etiam durationem multorum lustrorum portendit, maximè neglectâ medicamentorum adhibitione, malitiâ ægri insuper accedente. Interea neutiquam hâc vice desperationi patrocinabimur, malum enim adhuc recens & nondum inveteratum est, nondum què medicamenta sunt applicata, undè ægro nostro pollicemur divinâ clementiâ auxiliatricè sanitatis anchoram, modo probabiliorum remediorum usum non averetur, qui vel Verborum blanditiis vel minarum asperitate impetratur.

TH. XXXVII.

Modum eventus ad Salutem designabimus per æm. seu successivam solutionem, contemperatâ humorum acrimoniâ liberatoque à labis suæ contaminatione Cerebro. Sic & liberatio velocius speranda, vigiliis infugam abactis. Critirium Salutis jam jam adfuturæ propullulat, placidissimo somno subsequentे.

TH. XXXIX.

TH. XXXIX.

Insidiosi enim Vigiliarum hostes fontem Cerebri exhauriunt, domicilium verò soporis humiditas permeare debet, quâ fomes spiritibus animalibus præbetur. Terminatur quoquè in Melancholiam, vel proscripto penitus priori habitu vel relictis saltem aliquibus vestigiis. Commoritur autem convulsionum accessu, pororumquæ subsidentiâ, sequente totali spirituum jacturâ.

TH. XXXIX.

Ponderatâ in librâ examinis Morbi Theoriâ, ejus hostili invasioni averruncandæ nunc infundandum esse, præceps occasio mandat, hinc nostrarum jam erit partium dicere, quo filo Curatio triplici Indicationi innixa sit ducenda.

TH. XL.

Curatoriæ primariò incumbit fundamina sua moliri in restitutione & correctione integræ massæ sanguineæ & reductione ipsius in statum naturalem, quo rursus laudabilis segregatio liquoris nervei & spirituum animalium animæ actionibus obeundis haud contrariorum promanare queat.

TH. XLI.

Præservatoria Indicatio eð allaborare debet, ut causam Maniæ respiciens, generationi ulteriori præscindat momentum, aditusque omnes intercludat, indefessâ vigilantiâ.

TH. XLII.

Vitalis summâ ope eo anniti debet, ut vires conser-

ventur, quibus naufragium passis, fieri non potest, quin Symptomata urgentia Oeconomiam Corporis totaliter demoliantur.

TH. XLIII.

Indicationibus hisce satisfacti, triplicem illum fontem, scilicet Chirurgicum, Pharmaceuticum & Diæticum adimus. Ex fonte primo chirurgico nobis suggeritur remedium heroicum, nimirum Venæ sectio: Quæ valdè approbatur in hoc casu Medicorum Calculo & Experientiâ. Non unâ autem vice V.S. sed pluribus instituenda, & mox in pede vena Saphena, mox in brachio mediana vel cephalica tundenda, immò & frontalem venam aperire licet, si opus sit: Tali modo per intervalla sanguis fervidus educeatur, & alteratio notabilis ab ægro successivè percipietur.

TH. XLIV.

Nonnulli quidem svadent, in V.Sne tam diu procedendum esse, donec lipothymia suboriatur: Verum nos ad eorum consultationes haud transeuntes, propositum hoc potius disvademus: Siquidem scopum attingere valemus, si phlebotomiam successivam variis in locis instituamus, quæ alterationem sufficientem Machinæ corporeæ inducere valet. Multum autem roboris ægro subtrahitur, si sanguis confertim effundatur, quo autem convenienter evacuato, se melius coërceri patitur æger. Ventilatione enim succi istius rutilantis institutâ, ipsi ðgjæσuòs demitur, & spirituum motus concitatiōr impeditur, sic quæ

què Cerebrum à continuo illo impulso ferventis sanguinis per arterias carotides notabiliter liberatur.

TH. XLV.

Delectum autem Venarum ob revulsionem & derivationem sanguinis excogitatum, nemini commendamus, intentionem enim nostram effectu consequi non valemus. Cum sanguinem revellere & derivare inventus sanguinis Circuitus prohibeat, & loco emissi sanguinis statim aliis lege circulationis succedat. Ast ob Venas multas conspectum fugientes, eligitur ea quæ magis Visui tactuiq; obvia & sanguine turgida conspicitur, nullam incommoditatem secum fovens.

TH. XLVI.

Ubique ille humor rubicundus educi potest, & per rindē est, sive ex hāc vel illā vena emittatur: Sanguis enim ē vasis suis fluore ruens, æmulatur dolium vino repletum, quod ex quoctunque perterebato loco vimnum emittit. Applicationis modum quidem furor ægrotantis difficilem præstat, tentandum tamen est, num blandiloquiis ægro persuadere possimus, ut brachium extendat, si verò hoc non procedat, fasciis manus ligari debent, ut Vena absque obstaculo aperiri queat.

TH. XLVII.

Insignem quoquè usum cucurbitulæ scarificatae præbent, præsertim si in Vertice deratis capillis applicentur. Nec Arteriotomia prorsus prætereunda, quâ fervor sanguinis aufertur, spirituumque effrenis impetus infrin-

gitur. Verum cum non sine metu ea administrari possit; substituimus in ejus locum Phlebotomiam.

TH. XLVIII.

Supersunt adhuc Vesicatoria in medium proferenda, quæ maximum commodum ægris adducunt. Propterea cantharides in formâ Cataplasmati vel Emplastri locis nonnullis apponi possunt, illarum enim particulae Sale volatili alcalicô constantes, acidos liquores in Corpore contentos corrigunt, motumque ipsis æqualem & naturalem redintegrant.

TH. XLIX.

Nec silentii sibi flagellationes & fustigationes non parum promittentes auxilii tegendæ: Ferociam enim Maniacorum excessivam virgatum & ferularum cæsione compesci posse, loquitur Experientia. Mitescere solent visâ minaci ferulâ & remissionem furoris vehementer simulare. Mirum, hasce pejus Morte & Ense Maniacos metuere, adeò, ut ipsimet Corpus suum quibuslibet armis conficiendum intrepidè offerant, aspectu vero ferularum illud iterum retrahant.

TH. L.

Nunc fontem Pharmaceuticum aggredimur, qui nobis medicamenta efficacissima promittit: ex illò primò lenientia depromemus sequentia:

R. Rhubarb. Alexandrin. scrup. j. Crem. ♏. scrup. β. ol. Cinnam. gut. j. S. Lind. Pulver.

R. Crem. ♏. scrup. β. ♏. gr. vj. gialap. nigr. resinos. gr. vij.

vij. eleosacbar. anis. gr. iij. M. S. Lind-Laxir= Pulver.

R. Essent. gialap. dr. j. Sirup. viol. q. S. f. Laxir-Trancfl.
R. M. P. de aloë gr. xij. Pear. Qverc. gr.. vj. extract.
pilul. Cochiar.gr.iv. ♀ lat.gr. iij. M.c.Tinct. ♀ F.l.
a. pil. Nō xv. S. Lind-Pullen.

R. Pil. splen. Sylv. no iij. D. S. Laxier-Pullen.

Vel si Clysterem adhibere opus sit, seqvens ex usu erit:

R. Fol. absintb malv. ♀ al. ā. m.j. fl. cbam. melilot.genist. ā.
p. iij. bacc. Junip. laur. ā. dr. iß. sem. anis. carv.
aneth. ā. dr. iij. coqu.in s. q. ▽ simpl. Colat. R. B. j.
add. elect. diacathol. unc.j. ol. lin. unc. iß. ruta & se-
miunc. Ori Dat. dr. j. M. F. Enema D. S. Ely-
stier.

Vel R. Rad. s; aperient major. ā. dr. ij. fol. malv. verbasci
branc. urs. ā. m.j. summit.aneth. sc. cent. min. cbam.
ā. m.ß. prunor. dulc. Nō x. coqu.in s. q. ▽ font.

Colat. R. B. j. add. elect. lenit.semiunc.ol. lit. alb. jß. Θ gem-
ma dr.j. applicetur convenienter.

TH. LI.

Vi medicamentorum horum elusa, fortioribus insi-
stendum, quæ formulæ hiscè continentur:

R. ♀ dulc. gr. xvj. Extr. belleb. nigr. scrup. β. res. gial.gr.v.
M. c. s. q. Tinct. ♀ f. pil. Nō xix. S. Purgiers-
Pullen. Vel

R. radic. gialap. scrup. β. res. scammon. Cryst. ♀ ā. gr. viij.
fiant c. mucilag. cragac. sacbaro probè saturat.
pil. Nō xv. Vel

R. rad.

- ℞. rad. gialap. nigr. resinos. pulverisat. scrup. j. scammon.
 ♀t. gr. vij. Elæosacchar. citr. gr. jv. M.D. in charta
 s. Purgier-Pulver auff i. mahl. Vel
 ℞. Pulv. Diasenn. Montagn. dr. β. Cerber. tricip. scrup. β. ol.
 anis. gt. j. M.f. l. a. Pulvis, D. S. Purgier-Pul-
 ver.

TH. LII.

Nodo duro qværendus est durus Cuneus, qvem Vomitoria præbent, optima Maniacorum præsidia : triplici modō illa proficua esse videntur. 1. Excutiendo ex primis viis Cruditates acidas & viscidas. 2. Motum succi nervosi & spirituum animalium aliō avertendo, mentiqve relictis prioribus Ideis de aliis rebus cogitationes præbendo : eorum usus si ullibi, certè hoc in affectu admittendus. 3. Remedium heroicum evadunt, & vires quasi exsuperantes minuunt: hinc commode Vomitoriis uti possumus, ubi Varium imminutionem intendimus.

℞. ♂ rizvit. gr. iij. Elæosacch. mac. gr. jv. M.D. S. Brech-Pulverlein. Vel

℞. ♀ Emet. gr. jv. Eleosacchar. citr. gr. iij. M.S. Citronen Brech-Pulverlein. Vel

℞. ♀ Emet Mynsicht. gr. iij. extr. panch. Croll gr. jv. ol. anis. gt. ij. f. l. a. pil. Nō. v. S. Brech-Pillen. Vel

℞. Croc. metall. gr. jv. stet. c. unc. iβ. Vini Francici in infusione pernoctem, mane filtretur. D. S. Brech-Wein. Vel

℞. Aqu. Benedict. Ruland. semiunc. vel unc. j. S. Brech-Trancflein.

TH. LII.

Perrò jam particulæ istæ in motum raptæ indicant
sui correctionem , quam impetrari posse speramus 1. Dia-
phoreticis absorbentibus h. e. medicamentis tales poros
habentibus, quorum cavernulæ spicula illa humorum re-
cipiant. 2. Diureticis lymphæ fluorem deficientem resti-
tuentibus, ardoremque restingventibus.

R. ♂ diapboretic. fix. bez. ♂ lā scrup. j. C. C. phil. præpa-
rat. Corall. præparat. ā scrup. β. M. f. absorbirend
Pulver auf zweymahl

R. Lap. ♂ cærul. præparator. dr. β. ♀ Θ l. scrup. j. antibect.
Poter. scrup. β. M. f. Pulvis subtiliss. D. S. Pul-
ver auf etliche mahl.

R. ♂ cinnab. nativ. sachar. Saturn. ā scrup. β. antibect.
Poter. dr. β. M. f. Pul. subtil. D. S. Pulver auß
dreymahl.
ex horum pulverum numero , quilibet vel in vehiculo
accommodato exhiberi, aut potui ordinario inspergi pot-
est : avidissimè enim interdum ob prægressam potus absti-
nentiam diuturnam bibentes, neutquam attendunt eorum
sapores.

Principatum obtinent alterantia medicamenta, intri-
catis & ramosis suis particulis aculeos illos corrosivos in-
volventia , proindè Camphora egregiam hēic navabit o-
peram.

R. Elix. cephal. c. ♀ Θ * D. D. Wed. dr. iij. DS. Haupt. Mitur auf
unterschiedliche mahl.

Ipsemet ♀ Θ * potui indi amat , tanquam optimè parti-
cularum

cularum corrosivitatem temperans accessumquè novum faciens ipsi sero, illud augendo & restituendo, præterea nescientes ægri medicamina assumunt, successivâ alteratio-
ne insequente.

R. *Eff. castor. rorismar. à. drachm. j. lign. succin. an drachm. β.*
~~eff. rorismar. à. drachm. j. lign. succin. an drachm. β.~~
~~scrup. j. M. D. S.~~ *Stärckend Mixtur auff etli-
che mahl.*

R. *Pulv. cacheet. cinabar. D. D. Wed. drachm. ij D. in chartā.
S.* *Stärckend Haupt-Pulver auff viel mahl.*

R. *Bez. miner. scrup. β. O* ~~i~~ *at. scrup. j. Campb. gr. viij. Laud.
op. gr. ij M. f. pulvis.*

R. *C.C. phil. preparati, unicorn. foss. terræ sigill. à scrup. β. O
parat. scrup. j. campb. gr. vj laud. op. gr. iij. M. f.
Pulvis.*

R. *O* ~~l.~~ *cinab. nat. à dr. β. O* ~~i.~~ *C.C. ust. pulv stomach. Birck-
manni ana scrup. j. M. F. Pulvis D. S. Stärckend Haupt-
und Magen-Pulver auff 4. mahl.*

Memoratorum aliorumque ijs analogorum exhibitio rei-
terata sangvini convenientem suam mixturam restituendi,
impetumque subtilium agentium sedandi vim possi-
det, undè tandem Viscera quæque suos secernent liquo-
res atquè sic universo corpori pacata redibit quies.

TH. LV.

Cum verò ob defectum humectationis nec purgan-
tium nec alterantium operatio in Maniacis prosperò gau-
deat fine, jure humectantia laudem merentur: diluuntur
enim iisdem Humores serumque absuntum reparatur.
Hinc decocto lignorum aut Hyperici vel Anagallidis aut
infuso herbæ Thée, caffè humectandi atqve charac-
tem novum sangvini inducendi gratia uti æger potest.

De-

Defectum herbæ Thée resarcit Veronica, viribus illi correspondentibus instructa, quæ simili modo in Infuso calidè adhibetur. Hujus virtutes latius exposuit Dn. Doct. Franck in Tractat. cuius Titulus est Veronica theezans. Decocto etiam sequente effectum desideratum consequemur.

R. Radic. scorzon. unc. ij. C.C. rasp. unc. j. Sem. aquileg. dr. ij. coqu. ex aqu. ad unc. xx. Colat. add. ♀ Θ * drachm.
β. syrup. viol. unc. jß. M. F. Julebus.

TH. LVI.

Nunc etiam ad anodyna Spiritus efferatos placantia devenimus: ea Morbo inducias procurant somnumquè inducunt, quibus tamen camphora ceu penetrantisimum attemperans maritari potest.

R. Croci, campb. ana scrup. β. laud. op. gr. iv. M. D. pro 2. dosibus.

Vel R. Laudan. opiat. ad gr. iij. iv. l. v. f. Pilulae Nō iiiij.

Vel R. opij simpliciter depurati gr. iß. F. Pilulae Nō ij.

Vel R. Tinctur. anod. volat. gut. xx. infundatur porci affveto.

Fraude hâc piâ creberrimè tenemur Maniâ laborantium irretire animos, nec Vi nec blanditiis ad assumenda Medicamenta pronus.

TH. LVII.

Somnum ut potè apprimè proficuum & necessarium procurare necessitas exigit: Et enim evidenter experimur, Insanientium Furorem frangi, dum somnus narcoticis conciliatur: Opiatis autem non statim occurrentum est Maniacis, tanquam principali medicamento, neglectis aliis remediis quæ debent omnino præcedere v. gr. V. S. purgantia, alterantia, humectantia, &c. Videatur Opiologia Magnifici Dn. D. Wedelii accuratiorem Doctrinam circa adhibitionem opii in Maniacis tradens.

Religio nobis sit, q̄lem inunctionem in ejus-modi desperato casu tentandam inhibere , quæ videlicet frustrâ alijs adhibitis poterit efficere, quæ priora non præstiterunt. Sanè, si quæ alia q̄lia massam sangvineam liquant & fluxilèm reddunt, globulorum suorum rotunditate acre-dinem humorum imbibunt, & sic alterationem efficacissimam post se relinquunt.

Nec Topica & Epithemata negligenda , quippe quæ non solum fervorem sangvinis destruunt , verum etiam siccitatem nimiam tollunt , & particulas crassas acidatè stagnantes in motum naturalem reducunt, atque sic Maniacorum Inquietudinem turbulentam non parvus arcent.

¶. Sem. 4. frig. maj. à dr. j. papav. byoscyam. nucl. perfic. à. dr. jβ. Croc. scrup. iß. campb. dr. β. opii. gr. v. contus. c. f. q. ▽ rosar. D. S. Umbschlag damit ein duppelt Tüchlein zu nehen/und warm auf das Haupt zu binden.

Conducet linimentum sequens capitis vertici, temporibus, volis manuum & plantis pedum applicandum :

¶. Unguent. popul. Alabastrin. à dr. iiß. ol. papav. nymphæ. à dr. ij. Campb. dr. j. opij. gr. viij. M. f. l. a. linimentum D. S. Rühe-Sälblein.

Capitis etiam lotionibus & pedilaviis utilicet, siquidem illis, glandularum Pericranii exarescentium hiatus conspectior fit, ac serô minus perfusis lubricitas reparatur, Capitique robur pristinum restituitur.

¶. Herb. beton. pol. montan. origan. Meliss. Thym. rorismar. serpill. ozym. chamaedr. salv. ana. m. ij. summit. absintb. aneth. fl. ros.

*ros. viol. primul. ver. samb. à mij. coq. in ▽ simpl s. q. &
tepidè caput lavetur.*

*q. Rad. charyopbyllat. irid. Florentin. ana unc. β. fol. vitis chamom.
Roman. à mij. summit aneth serpill. pol. mont. à miss ocul.
popul. mj. cap. papav. Nô xij. Cort mandrag. unc. β.
concis. d. in charta s. species. Zum Fuß-Badi*

TH. LX..

Nec in congruum erit Musicæ Harmoniâ delectabili,
blandis confabulationibus, aliisque gratis recreationibus
ægri conceptus aliò avertere, ut sensim exutâ ferociâ,
humaniores mores succedant: quibus omnibus incassum
adhibitis tramite incedendum alio & plagis, minis, virgis,
vinculis æger cicurandus, donec sibi præsentior redditus
furere desinat.

TH. LXI.

Subjicimus his tandem fontem diæticum quem
ægro nostro, apprimè commendamus. Itaque in naturali
diætâ cibus εὐχεπος καὶ ἐυπεπτος laudabilis sangvinis gene-
randi causa eligendus: Ex carnibus Vitulinam, leporinam,
bubulam juvencam, agninem, Caponum, ova recentia, pi-
sces faxatiles, præ aliis comedat. Cibus aromatibus cephalici-
cis mediocriter condiri, & flatulentorum usus interdici de-
bet: alios pravi succi cibos, & qui difficilioris coctionis sunt,
fugiat, ex quorum prosapiâ carnes sale conditæ fumoquè
induratæ: Haleces, Aselli, acida, rapæ, pisa, lentes, leguminum
quæ variorum fercula sangvinem crassiorem producen-
tia locum non habent Siti sedandæ, Cerevisia à suis fecibus
probè depurata, Lupuloquè benè condita inservit: Lacte et-
iam caprinò vel serò Lactis æger uti potest, à vino autem

abstineat: nec absolum erit, quotidiano potui sal Prunellæ admiscere.

TH. LXII.

In Vitali Diætâ aer inspiratione attrahendus eligatur temperatus, qui si talis non sit arte parandus est. In animali autem, Animi Pathemata vehementiora veluti Terror, Ira, Curæ, &c. quantum possibile fugienda. Mens enim Iræ, ceu furoris brevis procellis concussa, objecta ejusmodi noctu & interdiu secum agitat nulla quiete Corpori concessâ, ex quâ occasio non levis huic malo præbeatur: siquidem nihil intimius ac celerius sanguineam massani alterare ejusque Mixturam destruere valet quam Ira-cundia, Terror & Mæstitia motum spiritibus inæqualem introducendo.

TH. LXIII.

Quam ob rem delectationibus variis ægrotanti tem-pus terendum, variisque animum laxantibus objectis, vi-delicit concentibus musicis, picturis, elegantibus & simili-bus, hilaritas ipsi concilianda, quorum contemplatione dominio in efferatus affectus eô facilius potietur.

TH. LXIV.

Motus mediocritatis leges non excedat, corpori quies & Cordi tranquillitas quôvis modô procuretur. Indulgere somno permittitur ægro, quo spiritus laborantes à continuâ agitatione ad quietem iterum deducantur. Vigiliae nimia ut arceantur, nihil intentatum relinquendum: A credini enim sanguinis & humoribus ansam & in-centivum præbent, motus tumultuosos partibus fluidis crean-

creando, illisque Intemperiem inducendo. Alvus sit semper officii sui memor, aliqua quæ Microcosmi emunctoria aperita maneant. Si alvus sit obstructa, leniEnemate sollicitanda.

TH. LXV.

His paucis non pro materiæ dignitate sed Ingenii modulo in Chartam conjectis Maniæ Naturam & constitutionem ejusdemque causas, signa & curationem hâc vice levi penicillo adumbrasse contentus Calami mei Cursum figo, annexâ debitâ Divinæ benignitati gratiarum actione, ulteriorique Votô addito, ut mea imposterum molimina & studia misericordi nutu secundet, ad Nomines sui Divini Gloriam proximique emolummentum.

Ipsi soli sit Laus & Gloria sempiterna.

T A N T U M.

Errores. P. 3. brutorum. p. 4. l. i. humanis. p. 5. supellex, p. II. l. I. animalium. p. 15. animales. & §. 26. avolare.



Indo-

Indomitus Furor est, & saevus efferus ausis,
Quo concussa malo Rationis Regia recto
Tramite declinat, per devia fertur, & errans
Palpitat, in mediis. ceu lumine crassa, tenebris:
Ventilat, hunc acri SCHRÖERUS acumine mentis,
Illi causas trutinando, levamina doctâ
Præscribendo manu, dextrèque medendo Mania:
Spondeo, qui tantum mibi profigaverit Hostem,
Consiliis aptum Medicis ad plura futurum,
Et depulsurum reliquos ex corpore morbos:
Id quod Supremus Medicinæ Fautor & Author
Dignetur dare: Sic feliciter omnia cedent!

~~autograph.~~

D. GEORGIIIS CHRISTOPHORII PETRI

ab Hartenfelsz/ Sacri Palat. Cæs. Comes , Ar-
chiat. Electoral. Mog. Consul & Physicus Erfurtensis
Fac. Med. p.t. DECANUS, Senior, P.P. P.L.C. &c.

ଶ୍ରୀମଦ୍ଭଗବତ